

16, 12.



47

QVOD BENE VERTAT
DE
RVINA FAMILIAE
HERODVM
IN SCHOLA EPISCOPALI
A. D. XXVI IANVAR.
POST PRECES MERIDIANAS
DECLAMABITVR
DIRIGENTE ET AD AVDIENDVM
INVITANTE
M. CHRISTOPHORO CELLARIO.

EX OFFICINA HETSTEDIANA.

xx.

94.



QVOD BENE VERITAT
DE
RVINA FAMILIAR
HERODVM
IN SCHOLA EPISCOPALI
A. D. XVI. JANVARI
POST PACIS MENDICIAS
DECAMANTIBUS
DISSENTIT ET AD LAVDIBUS
INVITAT
M. CHRISTOPHORO GELLIO

EX OFFICINA HERSPOLDI





Non necesse est verbosam esse laudem :
vnum verbum sufficit, quod virtutem deprædicet. Quid
Hieronymus congerere in Iosephum Iudæorum histori-
cum cumulatius potuisset, quam cum epistola XXII ad
Eutochium cap. XV *Græcum* illum appellauit *Liuium*. Videri po-
terat aliquid erroris subesse, & *Ebraum* potius, quam *Græcum* Liui-
um nominari debuisse, qui Ebræus genere, Ebræorum res gestas a
condita republica ad excidium illius persecutus fuit. Verum salua
res est, neque tam ex rerum materia, quæ omnino Ebraica est, quam
ex *Græca* dictione, & profana historia, ex optimis quibusque *Græ-*
corum scriptoribus hausta, & *Iudaicæ* historiæ idemtidem admista,
gloriosum cognomen adeptus est. Ipse sui interpretres Hieronymus
fit, & ex epistola LXXXIV ad Magnum, Romanum oratorem, decla-
ret, quid in *Græco* suo *Liuiio* imprimis admiratus fuerit. *Iosephus*, in-
quit, *antiquitatem approbans Iudaicam, duos libros scripsit contra Apio-*
nem, Alexandrinum grammaticum, & tanta secularium profert testi-
monia, ut mihi miraculum subeat, quomodo vir Ebraus, & ab infantia
sacris literis eruditus cunctam Græcorum bibliothecam euoluerit. Ra-
ra fane in Ebræo homine industria, & sine exemplo gentis suæ, qua
meruit in illustrissimis nominibus poni, & quod summæ dignitatis
est, æquari *Tito Linio*. Qui quantus fuerit, quam grauis pariter,
ac elegans historicus, neminem, nisi omni doctrina orbatum, fugere
potest. Ita enim Romanam historiam numeris omnibus absoluit, vt
scriptorum, qui antè ipsum fuerant, memoriam vnus propemodum
deleuerit, & quod armis sibi Romanus populus nomen adquisuerat,
ipse æquauerit tum rerum accuratissimo ordine, tum maiestate ac
nitore Latini stili. Sed laudes T. Liuii perscribere nostri instituti non
est, nec nouo ille præconio eget, quippe qui priscis nostrisque tem-
poribus nunquam illaudatus fuit, vt vel solius Gaditani hominis stu-
dio

1
dio approbati potest, quem Plinius lib. II. epist. III, & Hieronymus epistola CIII. cap. I tradunt *Linii nomine gloriaque commotum ad visendam eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse.* Vossius, Bonifacius, Sigonius, & cum primis Morhofius, Kiloniensis Academiae insigne decus, certatim congesserunt, quæ ad tuendam tanti scriptoris famam & ornamentum faciunt: nouissimus etiam a morosi censoris, Asinii Pollionis, iniquitate fortissime nuper defendit, & Patauini hominis latinatam vindicauit purissimam. Ex his, vt clarissimis signis, elucere credo, quantum laudis Iosepho Hieronymus contulerit, cum *Linium* appellauit, id est scriptorem eiusmodi, qui, quantum ille Romanis præminet, tantum hic inter Græcos Ebræosque antecellat. Quidquid enim in summo scriptore admirandum est, ingenii perspicacitas, inquirendi industria, fides, candor, dictionis ea elegancia atque grauitas, vt rebus scribendis propinque conueniat; his omnibus ita Iosephus pollere existimatur, vt vix inter veteres historicos sit, qui ei anteferri; pauci, qui cum illo ex æqua ratione comparari possint. Habuit Græcia sua lumina: non minor tamen Iosephus est, præsertim magnitudine operum & vniuersa gentis suæ historia id adgressus, quod non facile inter Græcos aliquem præstitisse reperias, vt qui singula potius bella, quam vniuersas res nationis suæ (paucos excipio) complexi sunt, cum stilo dederunt operam. In tanta laude cum fuerit hodieque sit Iosephus, tantaque flagrauerit industria; mirari subit, qui factum, vt res notissimas, & a sanctis ac diuinæ fidei viris perscriptas non semel intactas præterierit. Non meis, sed summi viri Iosephi Scaligeri verbis id probatum dabo. Is Adnotationibus ad Eusebii Chronicon p. 162. cum crudelissimos puerorum cædes in Herode notasset, *mirum est, inquit, tam belluina crudelitatis exemplum a Iosepho præteritum esse, qui tanta diligentia reliqua scuitiæ Herodiane facinora prosequitur.* Res certissima, indubitata, apud exteros æque, quam nostrates, quippe Macrobius etiam Saturnal. II cap. IV *Herodem Iudeorum pueros, non aliter ac diuinus auctor, tradit intra bimatam iussisse interfici.* Quæ causa Iosepho tanti silentii? spes, aut gratia aut pœnæ metus scribentibus sæpe officiant, vt vel occultent gestorum veritatem, vel demtis durioribus emollire studeant, aut causas fingant, quibus inducti magnates non potuerint id, quod vulgo reprehenditur,

ditur, quamuis voluerint, non in se admittere. Neutrum horum Iosepho obstare potuit. Præmii spes? a quo expectanda tam longo ab ruina Herodum interuallo? num metus periculi? par ratio vrget, quod nemo superfuit, qui vlcisci libertatem scriptoris potuisset. An ergo negligentia fuit, aut odium in Christianos, ne quod ipsorum libris vel vocibus probatum esset, suo confirmaret Iudæus homo testimonio? Ego vero diligentissimo viro, cui tantum debemus, quantum de antiquitatibus Iudæorum cognoscimus, nolim id crimen obiicere, quod tot industriæ monumentis ipse purgavit & amolitus est. De sectæ vero odio suspicari licet, diserte non affirmare. Nec tamen vanam dixerim suspicionem, sicut neque illorum coniecturam, quibus idem in mentem venit, cum priorem Quirinii censum, [Luc. II. 2.] ab eodem præteritum esse mirabundi reputant. Hæc quidem minime negatum imus: nec tamen in iisdem ita quiescimus, vt alias causas Flauiani silentii rimari desinamus. Obseruatum ab eruditis est, Iosephum in Herodis gestis maxime secutum esse *Nicolaum Damascenum*, Iudaicarum rerum, vt alias taceam, celeberrimum scriptorem, Herodis principem amicum, eiusdemque ad Augustum Cæsarem semel & iterum legatum. Qui, vt de educatione Augusti, ita de ipsa quoque *Herodis* huius *vita* librum composuerat. Huic vero accidit, quod Velleio Paterculo, quod aliis, qui suorum principum, quorum fauore utebantur, res scribere adgressi, adfectui, quam veritati sæpius concesserunt, quippe quod tutius est, sectari maluere, quam quod verius, in eo tamen vehementer decepti, dum simulatione plus damni apud posteros subierunt, quam periculi ex veritatis professione metuebant. In hoc censu Nicolaum fuisse, ipse sectator Iosephus XVI Antiquitatum cap. XI prodidit, de Dauidis regis sepulcro ab Herode spoliato, & noua ibi substructione posita, ita confessus: τὰς καὶ Νικόλαον, ὁ καὶ αὐτὸν ἱστοριογράφος μέμνηται τὴν κατὰ σκευάσμα- τος, ἢ μὴν ὅτι κατήλθεν, σὺν δ' ἔπειθ' ἑνὶ πρῶτῳ βιβλίῳ. Ματελεῖ ἢ καὶ τὰ ἄλλα τῶν τῶν τρόπων χρώματι τῆς γραφῆς ζῶντι γὰρ ἐν τῇ βασιλείᾳ, καὶ σὺν αὐτῷ, κεκαρτεμένῳ ἐκείνῳ, καὶ καθ' ἑωρησίαν ἀνέγραψεν, μόνον ἀπὸ μέρους τῶν πρὸς εὐ- κλειαν

αλειαν αὐτῷ Φεργύτων. hoc est, expiandi sceleris causa in aditu
 sepulcri Herodem monumentum e candido marmore condidisse,
 cuius operis etiam Nicolaus, illius temporis scriptor, mentionem fecerit,
 quamvis non descensionis regis ad spoliandum sepulcrum, quod præter
 decorum eam fuisse existimauerit. Idque more suo fecisse historicum,
 quia viui regis hæc auribus dederit, ea tantum attingens, quæ ad
 gloriam illius pertinere visa sint. Cum itaque certum sit, hunc Ni-
 colaum non attigisse infamem cædem puerorum; quam facile fieri
 potuit, vt Iosephus, qui in plerisque eum presse secutus fuit, vel
 inuitus præterierit, quæ ille de industria celauerat? Dum scribi-
 mus enim & omnia studemus persequi; subinde humana patimur,
 prætermittis iis, quæ scribi fidei nostræ & industriæ opinionis ma-
 gnopere intererat. Non autem solum est infanticidium, quod in
 Iosepho eruditi desiderant: filii Antipæ aiunt ingenium callidum,
 non penetrasse, cum in Baptistæ supplicio futilem causam attulerit,
 metum rerum nouarum, confluyente ad Ioannem quotidie turba,
 tetrarchæ non imprudenter subortum. Quod cum aliter Euange-
 lista recenseat, in suspicionem venit Iosephus, aut noluisse verita-
 tem prodere Iudaico more, aut, quod incuriæ est, non penitus per-
 spexisse. In hac vero causa nihil indolis ego Iudaicæ agnosco, cum
 Ben Gorion, quem Ebræum Iosephum vulgo vocant, ingenue cæ-
 dis causam eandem, quam Euangelista, perscripserit, cap. LXIII in-
 eunte, *ויהרגו רבים ויחמיו ישרל ונס הוא הרג את יוספן כהן גדול על אשר דבר ואמר לא יסור לך לקחת את אשת אחיך פוליפוס
 : ויהרגו רבים ויחמיו ישרל ונס הוא ויהרגו רבים ויחמיו ישרל ונס הוא ויהרגו רבים ויחמיו ישרל ונס הוא* *Interfecit multos e sapienti-
 bus Israel: quin etiam interfecit Ioannem sacerdotem magnum propter-
 ea, quod dixisset ei: Non licet tibi habere uxorem fratris tui Philip-
 pi in uxorem. Interfecit igitur eum, atque hic est Ioannes ille, qui
 baptizabat.* Quæ quamvis verissima sint, non tamen Iosephus,
 quod ignorauit ea, magnopere peccasse censendus est, qui quæ caus-
 fatus Herodes fuit, litteris mandauit, de arcanis consiliis, quæ sube-
 rant, minus forsan sollicitus: quod optimis sæpe scriptoribus acci-
 disse deprehensum est. Ita Suetonium, Orosium, Capitolinum,
 Spartianum, Lampridium rumore vulgi inductos subinde adseueras-
 se scimus, quod Tacitus & Herodianus, ex actis publicis confir-
 mati, vel falsum, vel dubium esse tradiderunt. Nondum autem
 Fla-

Flauium dimittimus, nec tamen carpendi animo, aut notandi prætermiffa, sed vt laudem, quam meritis est in pari historia, impertiamus. A filiis ad nepotes Herodis progressi, eorumque præcipuum Agrippam Maiorem, non possumus non admirari Iosephi & auctoris Actuum Apostolicorum singularem concordiam. Mirifice enim in excessu huius Agrippæ, quem sacer scriptor etiam Herodem appellat, consentiunt. Die solenni aiunt (erat autem ludorum, pro salute Cæsaris) in theatrum processisse indutum stola βασιλικῆ, vt Lucas refert, siue vt Iosephus lib. XIX. cap. VII explicat, ex argento mirabili textu facta, quæ sole illustrata Φοβερὸν τι, diuinum splendorem repræsentauerit. Vndique acclamationes factas conuersionem eius, vt Θεὸς Φωνῶ, in cælum extollentium. Iosephus κολακῆς, inquit, Θεὸν παρεσαγορεύοντες adulatorum deum consalutasse. In eo etiam conspirant, quod breui interuallo, hoc est quinto post die inter grauissimos dolores (ἀθροῦν κοιλίας ἀλγῆμα Iudæus vocat; Lucas plagam ab angelo incussam) miserabiliter exspirauerit. Nec in eo dissensus est, quod fastus hic interitum accelerauerit, quippe mollissime Flauius, vere tamen, ἔτι τὴν κολακίαν ἀπειθεῖν, neque rex, inquit, impiam adulationem deprecatus est aut castigauit, quod satis argumento sit, non inuito, sed clam forsan iubenti, aut subornanti acclamatores, diuinum honorem oblatum esse. Quo factum fuit, vt properaret diuina vindicta, quæ, cum quæuis scelera patientius ferat, supremam hanc superbiam, qua perterriti mortales humanæ originis, diuinitatem adfectant, celerrime semper grauissimeque punitum iuit. Sic Philippus Amyntæ eodem die, quo ἑαυτὸν τοῖς Θεοῖς σύνθερον κατήριθμῆσε, se deum appellari passus est, Diodoro Siculo teste lib. XVI exeunte; sic Commodus Romanus imperator, qui se Διὸς υἱὸν, Iouis filium salutari cupiebat, apud Herodianum lib. I cap. XIII. sic Iustini Clearchus lib. XVI cap. V aliique celerrimo supplicio interemti sunt: vt satis mirari non possimus ΔΕΙ μακροθυμίαν, qui immodicum hunc fastum in Alexandro tamdiu pertulit, hoc est ab excursionem ad Iouis Ammonis oraculum, ad vltimum vsque ex India in Babyloniam regressum. Tulisse vero ideo videtur, vt hoc flagello orientis populos vehementius adfligeret, qua peracta re ad mortem adhuc dilatam rex properato actus fuit. Hæc de Herodibus præfari ideo visum

visum est, quia ex nostris fuerunt, qui eo tempore, quo ecclesia He-
 rodis immanem crudelitatem detestatur, dicendi sibi materiam quaerentes,
Herodum ruinam elegerunt, quam stilo amplificarent, atque exercitii causa
 declamarent publice. Quod etiam impigre, neque incomite perfecisse
 testamur, ut crastino die parati sint ad recitandum. Primus autem
 IOHANNES CONRADVS Wendler / Aumenfis Variscus, in *Herodem Ascalonitam*
 inuehetur; cuius telam eiusdem oppidi ciuis GEORGIVS Hase / contexet,
 filios, *Archelaum & Herodem Antipam*, stilo acriore perstricturus;
 quem tandem IO. CHRISTIANVS Weise / Citicensis, excipiet, in nepotem
Agrippam eadem reprehensionis libertate vsurus, qui quod superiorum
 indultu scholam cum academia mutare constituit, grati simul animi &
 beneficiorum memoris Graeco sermone rationem habebit. Hos ut patroni
 & fautores nostri beneuole audiant, nostri muneris est etiam atque
 etiam rogare, quod hoc programme, qua fieri obseruantia & humanitate
 potest, praestitum & peractum volumus: discessuro vna, ut homini pio
 & industrio, felices in studiis progressus, & quidquid e re illius esse
 poterit, largiter apprecantes. PP. Cizæ VIII Calend. Febr. 1735
 LXXXV.





Nr 3165

80

1007

1007





Farbkarte #13

B.I.G.



NE VERTAT
 E
 AMILIAE
 DDVM
 EPISCOPALI
 I IANVAR.
 MERIDIANAS
 MABITVR
 AD AVDIENDVM
 ANTE
 ORO CELLARIO.
 HETSTEDIANA.

47

xx.
94

